

17. G. 12A.

59.

AD

VIRVM

PRAENOBILISSIMVM DOCTISSIMVM-
QVE

CHRISTIANVM GOTTLOB
HEYNIUM

CHEMNICENSEM

CVM

ELOQVENTIAE ET POESEOS

PROFESSIONEM

IN ACADEMIA GOETTINGENSI
CELEBERRIMA

MENSE IVLIO ADIRET

EPISTOLA

M. JOANNIS CHRISTOPHORI GOTTLEBERI

CHEMNICENSIS.



FRIDRICOSTADII

LITTERIS C. H. HAGENMULLERI.

Biogr. erud.

D. 1589, 95

Vitt. Erud. Jung - Vol. Felix - Aug

AD

V. I. R. V. M.

PRINCIPALIS DOCTISSIMVM

CHRISTIANVM GOTTLOB

HEYMANN

CHIRURGICVM

CVM

PROFESSOR ET PRACTICVS

PROFESSOR

IN ACADEMIA GOTTINGENSIS

MENSE IVLIO ADIET

F. P. I. S. T. O. F. A.

JOHANNES CHRISTOPHORUS GOTTLOB

CHIRURGICVS

PROFESSOR

IN ACADEMIA GOTTINGENSIS



Vir Praenobilissime, Doctissimeque,

Amice Aestumatissime,

Egone mihi satisfaciam, nisi TIBI, OPTIME HEYNI, me patriamque charam linquenti, palam significem, quanti TE faciam? Egone TIBI, quem in paucis amem, vltimum Vale non acclamem? quem sciam, non modo lectissimae doctrinae copia, scribendi elegantia, iudicandique *ἀριστεία*, sed, quod multo maximum est, animi integri, & ad amicitiam quasi nati factique laude praestare? Audies quidem a me nihil ex reconditae doctrinae penetralibus depromptum, quod TVA eruditione summa sit dignum; sed amorem erga TE meum potius exinde cognosces. Non autem melius fructuosiusque tempus, scribenda hac epistola me collocaturum puto, quam si ex ratione studiorum TVORVM, quam secutus es, mente & cogitatione eam viam, quam sibi litterarum studiosi

A ij

ad

ad aditum scriptorum omnis aetatis praestantissimorum munire debeant, secernam, vt, qui ad laudem gloriamque adspirare, TVIQVE similes fieri velint, fructum aliquem capiant. Equidem, ex quo tempore intelligere coepi, nihil aptius, magisque idoneum esse, ad formandum fingendumque suum animum, quam, exempla magnorum virorum cognita sibi reddere, ex quorum vitae studiorumque ratione, quid imitere, discas: semper magna nomina, in illustri posita monumento, ante oculos habui. Qui fructus non modo ex rerum gestarum memoria, sed etiam ex vita excellentium virorum potest decerpi. Et quem credam praestantiozem, quam TE, OPTIME HEYNI, quem a puero nouerim, cuius ingenium adolescere, quem magno gradu ad VIRI egregii laudem contendere viderim? quem ingenii felicitate, doctrina exquisita, cum in patria Schola, tum in Academia, omnibus aliis aequalibus praestare intellexerim? e cuius sermonibus, quomodo graeci latinique, aliarumque linguarum optimi scriptores sint legendi, intelligendi, iudicandique, didicerim? Quare cum sciam, TE non modo eruditionis omnis, sed & humanitatis exemplum esse, quod sequi omnes liberaliter educati possint: non tantum spero sed & confido, TE, si de vtilitate ex graecis latinisque scriptoribus in lectores redundante, TECVM amice colloquar, non aegre esse laturum: in maxima felicitatis parte collocaturus, si, proferendis meis cogitationibus, assensum TVVM, quem tanquam praerogatiuam aliquam publici assensus fero, affecutus fuero.

Neminem profecto, paullo liberalius institutum, esse puto, quin statim intelligat, Graecos, in omni genere disciplinarum, quae ad humanitatem spectant, praestantissima posteris reliquisse monumenta, quae

quae versare diurna nocturnaue manu, operae pretium esset. Quae si nobis etiam a vero absone esse videantur, quod non ipsi propria experientia eorum praestantiam intelligere, dulcedinem & suauitatem gustare, fereque animis imbibere potuerimus: tamen vel Romanorum exemplo confirmantur, qui, quicquid in hisce litteris praeclari ediderunt ex Graecis, tanquam purissimis fontibus hausere. Ut enim ab HOMERO ordiar, is ille est,

*cuius de fonte perenni
Vatum Pieriis ora rigantur aquis.*

Et nemo facile veterum Philosophorum, Oratorum & Poetarum est, quin, si ex eo quaedam desumerit, scriptis suis plurimum orna-
menti accedere, crediderit. Quo in numero auctore LONGINO, PLATONEM praecipue ponam, qui ab hoc fonte innumeros riuulos deduxisse putatus est. Vnde GALATON HOMERVM ἐμῶντα, ceteros autem Poetas ἐμνησμένους haurientes pinxit. Quum Graecia tam felix fuerit, vt tam praestans Poeta poematis suis ingenia ad elegantiam suauitatemque gustandam formaret; facile intelligi potest, cur in omni litterarum genere tot viri extiterint, qui absolutum perfectumque omnibus muneris quid, proferre possent. Quae laus fortasse Graeciae non tanta fuisset, nisi vnus HOMERVS vniversae Graeciae, lumen accendisset. Quod quantam vim habeat, vel quemque exemplum TASSII docere potest; qui, cum ingenium summum HOMERO, omnibusque veteribus erudiendum dedisset, omnibus popularibus suis sublimitatis & elegantiae gustum propinatu. Quae cum ita sint, Graecia, praestantissimorum ingeniorum ferax, magis magisque Homericarum carminis artem perspiciens, tot tantosque Viros in philosophia,

arte dicendi & poesi protulit, qui in suo genere principes, doctoresque Latii essent. Quos quum Romani, artium bonarum expertes & rudes, post bella, extra Italiam gesta, noscerent, iisque legendis intelligendisque non modo barbariem suis finibus exterminarent: non tantum id effecere, vt rebus vtilissimis cognoscendis, quae cum ad vitae necessitatem suauitatemque pertinerent, laudem consequerentur maximam, sed & ingeniis summis, ardorem quendam, ad scribendos praeclaros in quavis arte libros, iniicerent. Vnde Roma iactare potuit ENNIOS, PLAVTOS, TERENCEIOS, CICERONES, LIVIOS, HORATIOS, VIRGILIOS, OVIDIOS, aliosque, quos enumerare omnes longum foret, nec nostri esset instituti. Ad illa mihi pro se quisque acriter intendat animum, quomodo Romani in legendis, recteque intelligendis Graecis fuerint versati. Quae enim ratio melior esse potest, quam ea, qua Romani sunt vsi? Intelligebant scilicet, Graecos, exemplaribus scribendis, simul scribendi leges, quas non dedicerant, ab aliisque acceperant, sed ex natura ipsa arripuerant & hauserant, tacite proposuisse. His cognoscendis rebus non modo operam dabant, sed & characterem vniuscuiusque scribendi, materiam, consilium, religionem, patriam geniumque seculi, penitus intelligere studebant. Hisce magistris vsi Romani ingenium ita ad maxima quaeque formauere, vt ex horum ludo, tanquam ex equo Troiano, meri principes exirent. Et haec utilitas tanta est, vt, si nulla alia in lectores cadat; ea tamen quemuis litterarum studiosum ad lectionem talium librorum inuitare possit. Enimuero Latini, priscis illis temporibus, Philosophiae expertes, a Graecis hac disciplina imbuti institutique, tot viros, cum Cicero eam primus latinis litteris mandasset, habuere, qui, quod diuinarum humanarumque rerum cognitione pollerent, cum Graecis facile

le de principatu possent contendere. Idem & dici potest de ceteris studiis, veluti *Oratoria & Poetica*. Quis enim nescit, Romanos & in his artibus, Graecos, praeceptores suos habuisse? Qui, cum tot viros habuerint egregios, quales ISOCRATES & DEMOSTHENES aliique fuere; vt non nati sed a Deo aliquo ficti viderentur: Romani, horum scripta lectitantes, vertentes, rationem, qua vti ad persuadendum accommodate, inuenta ordine quodam & iudicio dispensare atque componere, ea denique vestire atque ornare oratione, debeant, didicere. Non opus est in re notissima exemplis. Haec quoque in Poesein cadere, quis ignorat? Romani Poetae antiquissimi qui vel nullam, vel exiguam de Graecis cognitionem habebant, ad recentiorum poetarum laudem, qui Graecos penitus perspexerant, quibusque Deus ore rotundo loqui dederat, non accedebant: quamquam fuerint, qui, quod Graecorum antiquissima scripta essent optima, sua eadem pensarent trutina. Sed profecto nulli VIRGILII, HORATIIQUE extitissent, nisi HOMERI & PINDARI iis viam monstrassent. Quid? Romani eo licentiae processere, vt argumenta fabularum, nomina & figmenta Deorum, aliaque ornamenta, quibus carmina sua exornarent, a Graecis desumerent. Ex quibus intelligi potest, Latinos, cum rerum vtilissimarum cognitionem, tum scribendi rationem, Graecis debere: nonne & nos Latinorum exemplum, ad similem imitationem instiget, ne, more quorundam paullo ignobiliorum, & umbraticorum doctorum, in legendis veterum libris, syllabas tantum aucupemur; eque istiusmodi tenui labore, quo otium teritur, melioribusque rebus perspiciendis eripitur, gloriolam aliquam captemus? Etsi utilitas haec maxime insignis est, illa tamen, cum ex lectione auctorum, animum sublimem ornatumque, pulcritudinemque omnem quasi odorantem

refe-

referas, non minus sese exserit. Habent hoc utilitatis bene scripti libri, ut nobis ingenerent quendam sensum pulcri atque venusti. Nonne enim animi nobiles, etsi non semper rationem reddere possunt, statim, quid placeat, displiceatque sentiunt? Fuerunt Romani, qui Graeculis hominibus, quod plus iusto sibi arrogarent, nec quemquam suorum intelligere quid arbitrarentur, tam insensu essent, ut se nihil iis acceptum referre posse, dictarent. At iis tamen, quamquam se Graecos legisse negarent, fatendum erat, se, quemadmodum solambulantes inuitos nigraret, istum recti elegantisque sensum, sibi insciis, accepisse. Unde fructus percipitur duplex: nam vel nosmet ipsi animum ad scribendum appellimus; vel si id negotii aliis relinquimus, iudicium nostrum omnemque ingenii vim sic acuimus, ut eleganter dicta iuste laudemus, ieiuna autem atque tenuia statim reiiciamus. Quae maior praestantiorque utilitas cogitari potest? qua, nisi fallor, vis omnis eruditi cernitur? Quid enim erudito est dignius: an molem, rerum infinitarum indigestam memoria tenere, de iisque nil iudicare posse; ut plurimi sunt, qui ingenium suum, ista copia rudi rerum, corrumpant, & ad cogitandum inhabilem reddant; an rectum & sanum iudicium de scriptis veterum prodere? Habemus inter veteres, DIONYSIVM HALI-CARNASSEVM, PLVTARCHVM, LONGINVM, HORATIVM, QVINTILIANVM aliosque, qui ornatum & suauitatem in scriptis eximiis intelligerent, & facultatem, scribendorum in suo genere optimorum librorum, adipiscerentur. Et quis ignorat, recentiores, BOILAVIVM, POPIVM, GELLERTVM, ut innumerabiles alios praetermittam, recte intelligendis libris ita ingenium suum finxisse, ut veterum optimo cuique simillimi essent putandi? Qui, si his artibus non essent
vfi;

vfi; ad tantum laudis fastigium non ascendissent. Quod autem or-
 do, necessitas, & ratio studiorum nostrorum sic comparata est, vt
 docti communi quadam lingua vterentur, nullaue huic consilio
 aptior quam latina, videretur: lectio diligens optimorum auctorum
 sola nos scribendi elegantiam docere potest. Fingamus, latine lo-
 quendi scribendique consuetudinem non inualuisse; tamen in lectio-
 ne spectandum esset eo; vt verborum formarumque loquendi vim re-
 cte nosceremus. Quomodo enim, nisi scias, quaenam verbis po-
 testas sit subiecta, virtutes orationis, elegantiam & dulcedinem intelli-
 gas; equidem haud video. Quam in re notandus est plurimorum error,
 qui, cognitione linguarum interiori posthabita, tamen & recte intel-
 ligere & iudicare graecos & latinos sibi videntur. Intelligentibus qui-
 dem, fucum non faciunt. Sed siue reprehendendis inique, siue male
 laudandis locis, se, ab Helicone exclusos esse, produnt. Cum viro-
 rum, in re litteraria principum doctrinam intuemur; his omnibus sub-
 sidiis demum eos instructos, ad pangenda carmina siue latina siue
 vernacula accessisse, intelligimus. Cui sunt ignota in orbe littera-
 rio magna nomina, SCALIGERI, GROTII, LOTICHI, BURMANNI,
 SCHWARZII, GESNERI? Nolo hic principes Francogallorum, An-
 glorum & Germanorum poetas laudare: quos constat, cogitandi ar-
 tem a Graecis Romanisque didicisse. Et nescio, an, recte intelligen-
 dis linguis, veluti hebraica, graeca & latina, nostrae vernaculae
 emendari, & in quibusdam formis, construendique ratione ad anti-
 quas linguas conformari possint: vt saepe factum videmus, & ex si-
 militudine nostrarum linguarum cum antiquis, apparet. Certe id ta-
 men ex accurata cognitione linguarum consequimur, vt concinnita-
 tem, breuitatem, numerum, aliasque scribendi virtutes, in nostras
 B lin-

linguas transferre possimus. Quae omnia & ad ceteras elegantiores litteras, non ad solam poesin pertinent: illos enim tantum, qui linguarum antiquarum indolem cognitam perspectamque haberent, artium disciplinarumque studiis, veteres aequasse deprehendimus. Restat adhuc fructus, quem artes efferunt, mirificus. Bonae litterae non modo ingenium intelligentiamque nostram acuunt, nosque omnis generis doctrina locupletant: Sed & vim maximam in animum, moresque nostros habent. Enimvero, nisi aliud ex lectione auctorum commodum proficisceretur, praeter illud laudis & gloriae: non tanti esset, vt omne tempus studiumque nostrum, in discendis litteris poneremus. Sed, quod multo maximum est, adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, aduersis perfugium atque solatium praebent, domi delectant, non impediunt foris, nobiscum pernoctant, peregrinantur, rusticantur. Quae tandem sit litterarum praestantia insignis, si te, cognoscendis innumeris rebus oneres, laudemque viri doctissimi assequare; moribus autem, cuius rustico, abnormi, pingui crassaque Minerua, sis similis? Ea sine dubio ratio studiorum non est: humanitatis enim nomine non insignirentur, nisi & nos comes, humanos & liberales redderent, nobisque leniores illas virtutes instillarent. Gentes paullo politiores in eo conueniunt, excolendis litteris, mores humaniores, leges praeclaras, regendaeque ciuitatis rationem optimam fuisse: contra ea, iis neglectis & contemptis, cultum omnem paullo humaniorem defuisse, moresque defecisse. Verissime Poeta omnia paucis complexus est:

— *Didicisse fideliter artes,*

Emollit mores, nec sinit esse feros.

Illae

Illae enim praeclarae sententiae de virtute, honestate, eleganter dictae, animum rudem pedetentim affuefaciunt, vt, diuturna lectione, eas penitus combibat. Multum & adiuuant exempla omnis aetatis, in monumentis priscis proposita, maiorem vim, quam praecepta, habentia; & lectio poetarum optimorum, quae ad mores emendandos permultum confert. Quod Horatius de Troiani belli scriptore laudat:

Qui quid sit pulcrum, quid turpe, quid utile quid non,

Plenius ac melius Chrysippo & Crantore dicit.

Et quo tempore mores humaniores, lenioresque virtutes erant: an cum litterae vigerent; an, cum incultae iacerent? Quo tempore apud Graecos & Romanos urbanitas & humanitas vigeabant? Plura possem adferre, quae dignitati litterarum conuenirent, nisi iam ab aliis praecepta esse, scirem, TEQVE, OPTIME HEYNI, pluribus super hac re commemorandis, a grauioribus negotiis detinerem.

Haec sunt, OPTIME HEYNI, quae mihi TVORVM studiorum ratio, de vtilitate, ex lectione auctorum optimorum proueniente, subministravit. Fructus enim illos quos boni scriptores largiuntur, sic percepisti, vt nemo magis: vt, nisi vererer, ne TE, virtutibus TVIS enumerandis violarem, in laudes TVAS excurrere possem. Sed, quum specimina eruditionis TVAE summae, quae cum doctis viris communicasti, & quae testimoniorum locupletissimorum vicem habent, TVAM in elegantioribus litteris cognitionem praestantem, satis abundeque demonstrare possint: nolo TIBI diutius molestus esse. Honores a REGE Magnae BRITANNIAE clementissimo delati, de TVIS, in rem litterariam meritis, testantur. Quanta laetitia affe-

ctus sim, cum me certiolem faceres, TE, meum aestumatissimum
 amicum, & popularem, in locum magni illius GESNERI, suffe-
 ctum esse; verbis exprimere non possum. Animo iam praecipio,
 TE illam spem, quam summi Viri de TE concepere, scriptis egregi-
 is, & multo cum fructu docendis litteris, certissime superaturum es-
 se. A Virò enim rectissimi studii, animique probissimi, quae incre-
 menta res litteraria non sperare potest? Quae tandem doctrinae le-
 ctissimae copia in litterarum studiosos, qui TE duce & auctore stadi-
 um bonarum litterarum, & antiquitatis omnis decurrunt, cadet! O
 terque quaterque beati, quibus, TE auspice & Magistro, Musarum
 sacris initiari contigit! Jam praevideo, quanta cupiditate, TE commi-
 litones TVI, Poetas, Oratores & Philosophos enarrantem, sint audi-
 turi! Quanta dexteritate iis artes scribendi, omnemque elegantiam,
 cum totius, tum partium, explices audire mihi videor; & si Deus
 vitam TIBI largiatur longam, vt ex animo opto; e scholis TVIS,
 graece latineque doctissimi, exhibunt. Gratulor ex animo honores,
 meritis TVIS debitos, gratulor Academiae, quam praesentia TVA or-
 nabis, celeberrimae, quod GESNERI, bonarum litterarum statoris,
 imaginem expressam in TE videt, & venerari potest. Deus omnibus
 TVIS coeptis numen suum annuat; vires, tot laboribus grauiissimis,
 largiatur, vitamque in Academiae ornamentum, prolonget; vitae
 huius commodis TE beatum faciat, vt nemo TE sit melior, ne-
 mo felicior. In parte felicitatis meae summa ponam, si & mi-
 hi abiens bene cupies, vt, quamdiu anima spirabo mea, amicitia
 TVA, qua nihil in humanis rebus carius scio, frui mihi liceat. Vale,
 meique viue memor. Scripsi, Dresdae die VI. Jul.

CIO IO CCLXIII.

